



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica**

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi  
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum  
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina  
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Fasciculus Exercitiorum Et  
Considerationum, De Præcipuis Veritatibus Christianæ Fidei Et Sapientiæ -  
Ad efformationem Christianæ vitæ, consecutionem salutis æternæ  
collectus: & usui accommodatus

**Druzbicki, Kaspar**

**Ingolstadii, 1732**

**VD18 90066332**

Exerc. 7. Per Gratiarum actionem pro gratuito illius in nos Amore.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45396**

Procul à me? quousque Amatori, quousque Amori  
meo JESU, molesta & onerosa eris? Recede à me,  
& excede o pestis, o virus Boni mei universi, excede  
in aeternum. O Anima mea: ab JESU sic dilecta:  
nunc, & ex nunc, ardesce Amore Amatoris,  
& Amorisque hujus tui: adfige te, adglutina, adcresece  
huic tuae mamillae, huic Matri, undique lac misera-  
tionum, atque gratiarum, beneficiorum & amorum,  
efficacissimorum & incessabilium, super te jugiter, pe-  
renniterque scaturienti: atque profusione profusissi-  
ma profundenti.

## EXERCITIUM VII.

Erga Sapientiam Incarnatam per Gratiarum  
actionem pro Gratuito illius in nos Amore.

1. **R**ecognosces DEUM pro tuâ, omniumque  
Hominum salute incarnatum esse.
2. Incarnatum autem sine ullius sui commodi  
intuitu: sed purè gratis, ex amore atque commi-  
seratione tui, & simul aliorum omnium Ho-  
minum.
3. Non enim eum pellexerunt aut pertraxe-  
runt ad hoc ulla merita, ullæ dignitates, ullæ ex-  
cellentiae, ullæ singularitates tuæ, aut aliquorum  
aliorum.
4. Quin imò retrahebant illum infinitæ, cer-  
tissimoque prævisæ, & perspectæ indigni-  
tates, & ingrattitudines, sterilitates, morosita-  
tes, malitiæque, tam tuæ, quàm omnium reli-  
quorum hominum. Quibus non obstantibus,  
ad incarnationis suæ omnem Dignationem de-  
scendere non abhorruit.

V.P. Druzb. Op. V.



5. Red-

Handwritten notes in the right margin, including "Druzb.", "Op. V.", and other illegible scribbles.

5. Reddes, tuo, omniumque hominum nomine, grates quàm gratiosissimas, huic tuo Amatori, pro hac Dilectione, atque commiseratione.

6. Ex hoc ipso gratitudinis gratiarumque actionis affectu, totam tuam, quin etiam omnium hominum, imò & universarum singularumque Creaturarum, Vitam, Actionem, Entitatem, atque Substantiam, destinabis, exercebis, offeres: æternaliter, ad omnem quàm gratissimum Gustum, huic eidem Deo: pro te, & pro omnibus Hominibus Incarnato.

7. Petes ab eodem, per istam ejus Charitatem Dignationemque misericordissimam, atque gratiosissimam, ut te aliquando, imò quàm premium, atque statim, juxta beneplacitum cordis sui, extrahat ab omni admixtione Creaturæ, ab omni Amore tuo proprio, ab omni proprietate, libertate, propensione, quiete, pondere sensualitatis, & concupiscentiæ, usque ad omnem denudationem affectus.

8. Introducat autem te, in Se, atque firmet Se in te, ut tu in illo, & illo, & per illum vivas, vicissimque ille in te, & te vivat: juxta illam normam Apostolicam: (Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus:) transmutando te in suum Spiritum, & in indolem naturamque celestem. Imbuendo te moribus suis, amore suo, omnibusque studiis propensionibus, votis, atque interioribus suis. Faciendo quoque te mancipium atque Sponsum Voluntatis suæ, pabulum Charitatis suæ, objectum subjectumque ac materiam occupationis, operationis, delectationisque suæ, perennis, & æternæ.

Gal. 2. 20.

PRAY

P R A X I S.

**S**apientia Increata pro nobis autem incarnata JESU  
Christe. Incarnata verò ex puro Amore, &  
gratuità miseratione super me perditum, sine ullà  
tuà commoditate ac necessitate: sine ullo meo, om-  
niumve nostràm merito, aut dignitate. Ago tibi  
gratias meo, & omnium hominum nomine, me item  
ipso toto, omnibusque, & singulis hominibus: pro  
hac incomprehensibili, & incompensabili, & gra-  
tuitissimà Charitate, atque miseratione super nos  
tuà. Et per eam ipsam: meudico à te, toto me, to-  
toque universo: ut me, vel nunc statim, vel quando  
Tibi melius placitum fuerit, eliberes, atque extrahas,  
ab omnibus Creaturis, & affectionibus creatis: in-  
primis verò à me ipso, & ab amore mei, à liberta-  
te, à propensione, à fiducia, à proprietate, à gustu,  
à quiete, à sensualitatis pondere, à concupiscentia-  
rum illecebrà, ab omni denique face, & nidore crea-  
to: ut nullatenus ad ullam creaturam, aut ad me-  
ipsum, propter meipsum incliner, sed liberatus &  
expurgatus ad purum, ab omni fermento proprii,  
creatique amoris, in Te totaliter, plene, intimè trans-  
ferar, & transeam, & transfermenter, interiora  
tua subintrem, & superinduam, in spiritum tuum  
transubstantier, moribus tuis, indoleque tuà imbuar,  
amore tuo transflammer, vità, presentia, gratia,  
efficacià tuà, penetrer, & transradier, fiamque man-  
cipium, & Sponsus Voluntatis tuæ, occupatio cor-  
dis tui, subjectum operationis tuæ, cibus &  
pastus Animæ Deitatisque tuæ  
in Æternum.